



**C**onradus ex illustri familia comitum de Vuir-  
 tenberg prognatus, multis uirtutibus orna-  
 tus fuit. Itaque inter Germaniæ procures ob insi-  
 gnem corporis & animi fortitudinem in magna au-  
 thoritate extitit, anno millesimo octuagesimo. Vn-  
 de eas contentiones quas Henricus quartus Cæ-  
 sar cum Rodolpho Sueuo exercebat, detestatus,  
 quantum potuit principes inter sese reconciliare,  
 & turbas in Germania componere statuit. Habe-  
 bat is fratrem Brunonem Hirsgouiaæ abbatem do-  
 ctissimum, qui hunc eius conatum probauit & ad-  
 iuuit. Cum autem id efficere non posset, paternas  
 ditiones magna prudentia gubernauit, atq; multo-

rum locotum accessione plurimum auxit. Ab eo illustris familia Vuirtenber-  
 gensium comitum descendit, qui magna gloria diu in Sueuia rebus presuerunt,  
 quorum Genealogiam ad Eberhardi comitis tempora, qui Montisbel-  
 ligardi comitatum suæ familiæ adiecit, in tabula propone-  
 mus. Nam Conradus moriens suum comita-  
 tum potentissimum Huldrico filio  
 reliquit. Naucler,